

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110**

Metaphysica- Ettenheim-Münste 102 - Prima philosophia

**Cartier, Gallus**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Proemium

[urn:nbn:de:bsz:31-110940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110940)

Metaphysica  
Seu  
Prima Philosophia.

1.

Prooemium.

Præmissio Disciplinarum Organis, 1.  
quo singulae circa materiam sibi subiectam  
uti solent, eam disciplinam nos aggredi par  
est, qua inter ceteras facile principatum  
tenet, ut in ipsa primò regularum Logi-  
carum usum ostendamus.

Hæc est prima Philosophia, seu Scien-  
tia generalis, et Physica generatim sumptæ  
pars prima, ut potè quæ primas huma-  
nae mentis notiones ac principia peruestigat,  
et quæ proinde, cæterarum quodammodo pa-  
rens, eas omnes in se complectitur, iis prin-  
cipia suppeditat, et, quæ singulis pro-  
pria sunt effata, vel axiomata, è quibus  
suas petunt demonstrationes, expendit.  
Deinde tanta tamque arcta est huius pri-  
mæ Philosophiæ seu Metaphysicæ cum Lo-  
gicâ connexio, ut prima pars Logicæ ea-  
dem ac prima Metaphysicæ pars esse vi-  
deatur: utraque enim circa mentis ideas,  
primarve rerum notiones seu perceptio-  
nes est occupata. Quare ob hanc quoque  
rationem Logicæ subiungenda videtur,  
ut, quæ naturâ inter se se conveniunt,  
ordine pariter et tractandi methodo conso-  
cientur.

Quod Græcum Metaphysica nomen 2.  
attinet, per illud eam Physicæ partem  
intelligunt Philosophi, quæ res sursum  
positas: id enim von Metaphysica si-  
gnificat: id est supra corporum na-

2. turam constitutas, seu res spirituales et à materia commercio solutas, prosequitur.

3. Res porro duplici ratione à materia secreta et abstracta sunt; scilicet, vel naturae suae conditione, cuiusmodi sunt substantiae spirituales, ut Deus, Angelus, et mens hominis, addunt aliqui Philosophi, aures quidem, brutarum animas: vel per mentis ipsius praecisionem, seu abstractionem; nempe cum generatim, sive universalibus quibusdam ideis concipiuntur.

Utroque modo eas contemplatur Metaphysica: unde et duae distinguuntur illi-

\* Ontologia vocatur partes; prima Ontologia\* dicitur, atque graeca latine circa ens generatim illiusque affectiones reddita idem est ac Sermo de ente. per mentem abstractas versatur: altera

\* Pneumatologia Pneumatologia\* nuncupatur, et agit de Spiritibus; de Deo scilicet, de Angelis, de mente humana &c, quantum sibi et naturalis ratio patitur.

est ac Sermo de Spiritu.

4.

Metaphysica ergo recte definitur, Scientia Speculativa, quae circa ens generatim, illiusque affectiones per mentem abstractas; Speciatim vero circa substantias Spirituales, prout naturali ratione cognoscendas, occupatur. Definitio haec patet ex dictis. Primum igitur de ente generatim spectato illiusque affectionibus per mentem abstractis; tum de Spiritibus Speciatim nobis tractandum est. unde sit